

habere et possidere, ideo ut perpetuum in A mine ipsa cessionis meae epistola sortiatur me, praefato principi obtuli confirmandam, et de praesenti [Mab., pietas de praesenti] saluta manu sua roboratam promulgavit auctori.

In qua cessionis meae cartula stipulatione mone subnixa, infra manu propria subscripsi, testimonium subscribi [Mab., et qui pro testi-subscriberent] de praesenti rogavi. Facta ces- b die duodecima Kalendas Decembris, a anno i sexcentesimo quadragesimo primo, anno de- regni gloriosissimi domini nostri Dagoberti feliciter, in Christi nomine. Eligius [Mab., m], servus servorum Dei, cessionem a me i relegi et subscripsi. In Dei nomine ego b latus episcopus, rogante homine Dei filio meo dño B hanc cessionem subscripsi in Xpi nomine. solus [Mab., Madegisolus episcopus, subscri- annoaldus episcopus, rogatus ab Eligio, hanc cessionem sua cartula subscripsi. [Mab., hic addit tunc episcopus, rogatus ab Eligio, hanc cessionis cartulam subscripsi. Deotemus [Mab., Dacre-

mus] peccator, rogatus a supradicto Eligio, sub- scripsi. Galapius [Mab., Solapius] peccator, rogatus a supradicto, subscripsi. (e Maurinus episcopus, ro- gatus ab Eligio, hanc cessionem cum sua cartula sub-cripsi.) In Christi nomine [Lupus, ac si indignus episcopus, rogatus hanc epistolam subscripsi. Ildegarius peccator subscripsi. Arogetualis Eligio pro testi- monio subscripsi. Crannolinus [Mab., Chramnalenus] pro testimonio subscripsi. [Mab., hic add. Gandanus subscripsi.] Agoricus subscripsi. Crannoaldus [Mab., Chramnoaldus] pro testimonio subscripsi. Agori- chius hanc epistolam subscripsi et d euls. Childerau- nio seu Baso [Mab., Childeramenensis Baso], roga- tus a supradicto fratre meo Eligio, subscripsi. Anso- aldus subscripsi. Dado, rogatus a supradicto, sub- scripsi. Rabo [Mab., Rado], rogatus a supradicto, subscripsi. Probabobertus [Mab., Bobobertus] sub- scripsi. Baso [Mab., Babo] subscripsi. Rabbo [Mab., Baso], rogatus, pro testimonio subscripsi. Vincen- tius, minimus omnium levitarum Christi, rogatus a filio Eligio, hanc cessionis cartulam scripsi et sub- scripsi.

essant haec in Exemplari Mabill. Caeterum an- nr. 641 cum anno decimo regni Dagoberti colli- interpolatorem prodit. Certe, tunc temporis in ma fait annum Chr. chartis apponere. Adde, quod omnes constat, anno 641 Dagobertum jam tri- bblinc annis vitam cum morte commutasse, scili- mo 638, die 2) Januarii. De annis Dagoberti docte mentati sunt Mabillonius et Longuerue, quorum mitiones videsis ad calcem t. III Scriptorum re- Francicarum. Mabillonius, Acta SS. Ord. Ben. C t. I, pag. 352; Cointius, Ann. t. II, pag. et plerique criticorum familiae principes, annum nam regni Dagoberti tribuunt anno Chr. 634, i regni hujus computando ab adeptio Austr-

sia regno. Quidam a morte Clotarii patris annum hunc decimum repetendum censent. Utraque opi- io concordat cum subscribentium episcoporum nomi- nibus. Nos sententiam a pluribus receptam sequi- mur.

b Ex episcopis qui huic chartae subscripserunt anno regni Dagoberti decimo, Maurinus Ecclesiae Belva- censi praefuit, Adeodatus Matisconensi, Madegisolus Turonensi, Canoaldus Landunensi, Galapius seu Sala- pius Nannetensi, Lupus Lemovicensi, Ildegarius Se- nonensi. Vid. Coint. t. II, Annal. pag. 844.

c Voces Maurinus... subscripsi, parenthesibus in- clusae, desunt ap. Mabillonium.

d Haec voces ridiculae apud Mabillonium desunt.

VERSUS SANCTI AUDOENI DE SANCTIS MENARDO ET GILDARDO.

Hi sunt Gildardus fratres gemini atque Medardus :
Una dies natos utero viditque sacros,
Albis indutos, et ab ista carne solutos.

ANNO DOMINI DCLVI

CLODOVEUS II

REX FRANCOBUM

ET

SANCTA BALTHILDIS

EJUSDEM REGIS UXOR.

(Mabillon., Acta SS. ord. S. Benedicti.)

NOTITIA HISTORICA IN SANCTAM BALTHILDEM.

Sancta Balthildis, seu Baltechildis, ex Anglo-Saxo- na regione captiva in Franciam adducta, ex Erchi-

noaldi ministerio in Clodovei junioris thalamum exacta, demumque ex regina monasterii Kalensis

monacha uti et conditrix, duos meruit Vitæ suæ scriptores, unum ejus ætatis æqualem, gravem quidem, at iniquiorem; alterum interpolatorem, qui prioris sententias paulo elegantiori sermone non tam mutavit quam exornavit, nec multo post alium vixit, quemadmodum ex verbis ipsius in Vita subjecta, num. 49, relatis manifestum est. Præulimus proinde scriptorem antiquiorem, qui, regnante adhuc Theodorio Balthildis filio, Theudfredo abbate primo Corbeiensis, tum episcopo, scribebat, utitur n. 3 et diserte testatur. Posteriorem lucubrationem a Surio editam, a Rollando restitutam, explicationis gratia subinde citabimus, ne si daremus integram, easdem res verbis paulo diversis incassum repetere cogemur.

2. Sanctæ Balthildis nomen varie pinxerunt antiqui homines. Alii Balthildem ac Balthildem, Baltechildem, seu Baldechildem, alii, recentiores, Balthildem præferunt: nos vero sequimur auctores antiquiores, Bedam, Aluredum in versione Bedæ Saxonica, Adeldardum abb. Corbeieensem in Statutis, et alios, qui Balthildem sibi amant; rarius Baldechildem, seu Baltechildem, sicuti ex mss. Codicum collatione observavimus. Galli etiam nostrates vulgare pie regiæ nomen varie efferunt. *Baudour* ac *Bauthern* efferebant patres nostri; nunc in ore omnium *Bathilde* auditur; quod nomen Balthildis, audacem heroida; Balthildis, utilem heroida Germanice significat.

3. Balthildem nati ne Saxoniam prædicant omnes. Falluntur qui in Germanica Saxonum regione ejus patriam locant. « Clodoveus accepit uxorem de genere Saxonorum nomine Balthildem pulchram valde et omni ingenio strenuam, » ut liber de Gestis Franc., cap. 43, habet. Et Fredegarii continuator, cap. 91: « Clodoveus filius Dagoberti ex genere alienigenarum reginam accipiens nomine Baldechildem, prudentem atque elegantem, genuit ex ea filios tres. » Gentem Saxonum, Saxones interpretare ex Germania una cum A. gis et Jutis in Britanniam insulam «culo v. diffusos, a quibus Britannicæ gens universa quandoque Saxones seu Angli-Saxones appellatur. Saxones Germanici nondum Christum didicerant, Britannici partim confitebantur. Hinc Balthildis Christiana, « de partibus transmarinis (verba sunt interpolatoris) divina Providentia deprædanda, et vili pretio sed incomparabili commercio venundata advenit (in Franciam), ipsa pretiosa et optima Dei margarita; atque a principe quodam Francorum viroque clarissimo Herchindo Ido, qui tunc palatium gubernabat, constat esse receptam. » Si ex Saxonia Germanicæ processisset Balthildis, non de partibus transmarinis advenisse dicenda fuisset. Equidem præter Gregorium Magnum Eligius multos redemisse captivos dicitur in Vita lib. 1, cap. 10, « præcipue ex genere Saxonum, qui altitudo eo tempore veluti greges a sedibus propriis evulsi in diversa distrahebantur. » Quod etiam præstitit beatus Richarius abbas Centulæ, sæpe in Britanniam hac de causa profectus.

4. Balthildem illustri genere ortam fuisse testatur interpolator, cuius hæc sententia paulo post superiora: « Non levis in eloquio, non præsumptuosa in verbo, sed cuncta opera sua honestissime moderabatur ingenio. Claro namque sanguine (licet alterius gentis serviret obsequiis) progenita Saxonum demonstrabatur. » Et infra: « Nutu divino factum esse creditur, ut quæ principis nuptias devitaverat, postea Clodoveum Dagoberti quondam regis filium in conjugium acciperet, et merito humilitatis ad altiorem gradum eam attolleret. In quo divina dispensatio eandem honorare decreverat, ut dum ministrum regis contempserat, ad regis copulam perveniret, atque ex ipsa regali progeme procederet. Quod ideo peractum est, sicut omnibus patet, ut ipsa quæ erat ex regali progeme, regiam sumeret copulam, regiamque gigneret sobolem. » Joannes Stowe, in Hist. Anglic. et ex eo Jacobus Malbrancus, in lib. III de Morin., cap. 30, Balthildis regium genus deducunt ex Wodeo Saxonum duce per Ethelbertum et Kadbaldum

Britanniæ reges, Balthildis avum et patrem; cuius Balthildis ex fratre Ercomberto nep. is fuit Ursana, Rigoberto postea Rhemorum episcopo desponsata; ex qua sancta Berta abbatissa Blangiacensis prodierit. Certe apud Bedam, in Hist., lib. 1, cap. 15, invenimus, « ex Wodeni stirpe multarum provinciarum regium genus originem duxisse, » et in Actis sanctæ Bertæ legimus ursanam Balthildis neptem Rigoberto Bertani genuisse. At cum in illis Actis multa emendatione indigeant, ex illis nihil certi hac de re colligere licet.

5. Dici non potest quantum respublica non solum civilis, sed etiam monastica Balthildis prudentiæ ac pietati debeat. Nec immerito sane Chrothildi, Radegundi, aliisque claris reginis comparatur. Ejus piæ magnificentiam hodie quoque predicant præclara quæ vel condidit vel dotavit monasteria, ab auctore Vitæ breviter commemorata. Duo tamen præ cæteris extulit, Corbeieense ac Kalense. De Corbeiensis dicendum ubi Theodofredum ejusdem loci abbatem primum laudabimus; hic de Kalensi paucis agendum. Chrothildis Clodovei M. conjux parvum oratorium cum aliquot cellulis construxerat in Kala, seu Cala, villa regia agri Parisiaci ad Matronam fluvium, ibique virgines paucas Deo sacras posuerat, uti infra, num. 18, scribitur. Illic insigne Parthenona a fundamentis erexit Balthildis, et locum (teste Vitæ interpolatore) villis affluentissimis et quampluribus cum earum redditibus ampliflavit et exornavit, et in potestate sub religione ibidem viventium sacrarum virginum tradidit. Quarum quidem vocabula propter tedium legentium reticui. Illud vero inserere curavi, quod rectoribus ejusdem loci valde timendum est. Nam præceptum super his constituit, et manibus propriis ac filiorum regum roboravit, sigilloque signavit; in quo testamento interminata est per invocationem sancti-simæ Trinitatis et diem tremendi iudicii, ut nemo per succedentia tempora rector quislibet ejusdem loci quidquam de his villis quas in usus diversos ejusdem cœnobii habitantium consulerat subtraheret, aut beneficiarios exinde haberet. Quod si fecisset, pœnis infernalibus cum Juda traditore nequissimo et cupidissimo afflictus sine fine puniretur. Ipsumque testamentum si quis quæsierit, in archivo ejusdem ecclesiæ reperiet. In hoc etiam prædicto cœnobio venerabilem religiosamque valde Dei famulam Bertilam, quam ex monasterio Jodro, evocaverat, in loco matris primam constituit, » etc. Duplex eo in loco monasterium virorum ac puellarum fuisse ex Vita sanctæ Bertilæ suo loco referenda constat. Balthildis nomen loco plurimum dignitatis contulit et honoris. Illuc confluebant virgines ex diversis provinciis, etiam ex insula Britannia, testante Beda in lib. III Hist., cap. 8, « Monasticæ conversationis gratia, » quam virgines Kalenses summa religione tenebant. Quippe Hilila, et soror ejus Hereswita Aldulii Orientalium Anglorum regis mater, Britannicæ dignitatis Kalam prætulērunt. Bedæ verba hoc loco prætermittenda non sunt.

6. « Anno (inquit lib. III, cap. 23) dominicæ Inc. 680 religiosissima Christi famula Iliida, abbatissa monasterii quod dicitur Streaneshalh, post multa quæ fecit in terra opera cœlestia, ad percipiendâ præmia vitæ cœlestis de terris ablata transiit die xv Kalendarum Decemb. cum esset annorum sexaginta sex; quibus æqua portione divisit, triginta tres primos in sæculari habitu novissime conversata complevit, et totidem sequentes nobiliter in monachica vita Domino consecravit. Nam et nobilis natu erat, hoc est, filia nepotis Edwini regis vocabulo Hericri, cum quo etiam rege ad prædicationem beatæ memoriæ Paulini primi Northanymbrorum episcopi fidem et sacramenta Christi suscepit, atque hæc usque dum ad ejus visionem pervenire meru't, intemerata servavit. Quæ cum relicto habitu sæculari illi soli servire decrevisset, secessit ad provinciam Orientalium Anglorum. Erat namque propinqua regis illius; de-

siderans exinde, si quo modo posset, derelicta patria et omnibus quæcunque habuerat. Galliam pervenire, atque in monasterio Cæcæ peregrinam pro Domino vitam ducere, quo facilius perpetuum in cælis patriam posset mereri. Nam et in eodem monasterio, soror ipsius Heresvit, mater Aldulfi regis Orientalium Anglorum, regularibus subdita disciplinis, ipso tempore coronam expectabat æternam, cujus æmulata exemplum et ipsa proposito peregrinandi annum totum in præfata provincia retenta est. Deinde ab Aidano episcopo in patriam revocata, accepit locum unius familiæ ad Septentrionalem plagam Wiri fluminis, ubi æque anno uno monachicam cum perpauca sociis vitam agebat. Post hæc facta est abbatissa in monasterio Heortheu [Al., Heruteu]. Deinde contigit eam suscipere etiam construendum sive ordinandum monasterium in loco qui vocatur Streaneshalb, quod opus sibi injunctum non segniter implevit. Tantæ autem erat ipsa prudentiæ, ut non solum mediocres quique, sed etiam reges ac principes non nunquam ab ea consilium quærerent et invenirent. Tantum lectioni divinarum Scripturarum suos vocare subditos, tantum operibus justitiæ exerceri faciebat, ut facillime viderentur ibidem, qui ecclesiasticum gradum, hoc est, altaris officium apto subirent, plurimi posse reperiri. Denique quinque ex eo tem monasterio postea episcopo vidimus, et hos omnes singularis meritum ac dignitatis viros, Bosa, Athla, Guthfor, Joannes et Wilfrid. Hæc fusius persecuti sumus, ne alibi eandem rem iterum agere cogemur. Hereswida, seu Heresvita, colitur in martyrologio Benedictino Kalendis Septemb. Hilda vero abbatissa xv Kalend. ejusdem mensis. Hereswidæ sepulcrum in monasterio Jotro ostenditur in oratorio sancti Pauli, quod mirum videtur, siquidem apud Kalam sanctimonialis vixit.

7. Harum sanctimonialium magistra et abbatissa fuit sancta Bertila, cujus Acta initio sæculi in Benedict. referemus. Eo in loco etiam antistita fuit Heglwich genitrix Judith imperatricis, Ludovici Pii conjugis, uti in historia translationis sanctæ Balthildis ad ann. 833 videbimus.

8. Antequam has observationes finiamus, operæ pretium est maculam ac notam delere, quam Balthildis memoriæ Venerabilis Bedæ in lib. v Hist., cap. 20, Fridogodus poeta quidam, in carmine de Vita sancti Wilfridi, et Willelmus Malmesburie monachus inuenerunt. Quippe aiunt Wilfridum, postea Eboracensem episcopum, cum Romam ad ritus Ecclesiæ monachorumque discendo proficisceretur, Lugduni a Dalfino Urbis pontifice detentum, ac postea peracto Romano itinere iterum ab eodem humanissimo exceptum

A fuisse: quo tempore Dalfinus Balthildis jussu necatus dicitur. Neque audiendi sunt qui Brunehildem loco Balthildis substituunt, tum quia libri omnes antiqui ac Bedæ versio Saxonica ab Alurelo rege facta Balthildem præferunt, tum quia nondum in vivis erat Wilfridus, quum Brunehildis vivere desiit. Verum quisquis Balthildis Acta legit, quantum ab inferenda episcopis præsertim piis ac sanctis nece abhorrens fuerit, statim intelligit. Diligebat enim sacerdotas ut patres; nec alia via Sigoberrandi, seu Sigibrandi, episcopi interfectores declinare se posse Balthildis justitiam existimaverunt, quam si absque mora in Kalense monasterium, uti dudum optabat, se recipere sineretur. Et quidem in illa Dalfini historia multa correctione digna videntur. Nullus enim episcopus nomine Dalfinus Ecclesiam Lugdunensem rexit. Pro sancto Annemundo jussu Ebroini interfecto Dalfinum substituit Beda, qui ex popularium suorum narratione incerta ac in vulgus jactata id B ascripsit Balthildi regnum tum administranti, quod Ebroinus major domus regis ea inconsulta aut etiam fortasse invita peregit. Sunt qui Sigoberrandum, seu Sigibrandum, episcopum, de cujus sedo infra, num. 10, agitur, eundem esse existimant cum Annemundo qui a Patris Sigonis nomine Sigoberrandus cognominatus sit. Id sane a vero non multum recedit. Nempe Wilfridus Romanam peregrinationem cum Biscopo cognomento Benedicto aggressus est anno Christi 653 aut insequenti, si Ranulfo Cestrensi, in lib. v, cap. 16, et Florentio Wigorniensis credimus; imo etiam serius, uti ex Beda in lib. i Hist. ablatum monasterii sui colligitur, qui auctor duas primas Bisopi Romanas protectiones factas innuit pontificatu Vitaliani papæ, qui non ante annum 656 sedem Romanam iniit. Wilfridus in illo itinere correptus morbo apud Lugdunensem episcopum donec convaluit moratus est. Roman inde profectus, et menses aliquot ibi in studiis occupatus felicibus exegit, inquit, Beda, lib. v Hist. Angl., cap. 20, ac postea rediit ad Dalfinum in Galliam, et tres annos apud ipsum commoratus, attonsus est ab eo, et in tanto habitus amore, ut hæredem sibi illum facere cogitaret. Sed ne hoc fieri posset, antistes crudeli morte præreptus est. Ex his intelligitur Sigoberrandi eadem eodem contigisse tempore quo Annemundi episcopi Lugdunensis, qui proinde non immerito idem cum Sigoberrando fuisse videtur. Lege Adrianum Valsium hæc de re, in Rer. Franc. lib. xxi accurate disserentem, ac post eum Carolum le Cointe, ad ann. 654. Denique Joannem Bollandum, qui ante utrumque hoc argumentum tractavit, cujus distinctiones in subjecta Vita retinimus.

VITA SANCTÆ BALTHILDIS,

AB AUCTORE ANONYMO EJUS ÆQUALI SCRIPTA.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Mihi quidem ut imperatum est, dilectissimi fratres, ad tam subtile piique opus peragendum præsele Christo, etsi imperitia denegat vires delicatæ historiæ scholasticorumque verborum ordinem profereudî; sed validius nobis imperat plenissime charitatis affectus, ut veritas pateat, et jactantia non inflat. Novimus enim Dominum Jesum Christum in fiscalia magis fructum requisisse quam folia. Et ideo veritate fructum super lucernæ candelabrum ad edificationem multorumque profectum perpatrefacere et non

D occultare decrevimus. Minus licet periti scholastica, sed magis studere volumus patere ædificationi plurimorum, qui velut apes prudentes dulces requirunt ex floribus nectar, id est, ex verbis simplicibus veritatis augmentum quod magis ædificat audientem, quam inflat, ut imitari cupientibus compendium pietatis aperte ostendat. Illic ergo non tam detractoribus, sed potius fidelibus quam potius veritatem ostendimus.

INCIPIT VITA.

2. Benedictus Dominus qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui et operatur omnia in omnibus velle et perficere. Et ideo merito ipsius laus canenda est prius in sanctorum meritis sive virtutibus, qui de parvis efficit magnos, imo qui de stercore elevat pauperem, et eum consedere facit cum principibus populi sui, sicut et præsentem venerabilem magnique meriti feminam domnam Balthildem reginam: quam de partibus transmarinis divina Providentia advocans, et villi pretio venundata huc advenit ipsa pretiosa et optima Dei margarita; receptaque est a principe Francorum viroque illustri Erchinoaldo quondam in cujus ministerio ipsa adolescens honestissime conversata est, ita ut pia ejus conversatio et admirabilis complaceret tam principi quam et hominibus ejus ministris. Erat enim benigna animo et moribus omnibus sobria, prudens et cauta, nulli machinans malum. Non levis in eloquio, non præsumptuosa in verbo, sed in cunctis actibus suis honestissima. Et cum esset ex genere Saxonum ^a forma corporis grata ac subtilissima, et aspectu decora, vultu hilaris, et incessu gravis. Et cum talis esset, fuit omnino grata principi, et invenit gratiam in oculis ejus. Quam instituit ut sibi in cubiculo pocula porrigeret, et ut pincerna honestissima sæpius præsens astaret in ministerio ejus. De cujus dignitatis gratia nullam habuit extollentiam, sed potius in humilitate fundata, omnibus erat suis consolabilibus obediens atque amabilis; honore congruo ministrans senioribus, ita ut de earum pedibus calcamenta detraberet ac dilueret, aquam quoque ad lavandum afferret, et vestimenta earum festinanter pararet. Et hoc absque murmure bono et pio animo exercebat eis ministerium.

3. Ex qua ejus nobili conversatione, maxima ei inter socias laus atque amor adolevit. Et in tantum felicem famam promeruit, ut matrona suprascripti principis Erchinoaldi defuncta, ei complacuisse, ut denuo sibi Balthildem honestissimam virginem in thoro matronali sibi sociaret. Qua re ipsi comperta, latenter se et studiose ab ejus subtraxit aspectu. Et cum jam vocaretur ad principis cubiculum, secreto se ipsa abscondit in angulo, superjectis sibi vilibus pannusculis, ita ut nemini pateret illic aliquem latere potuisse. Ipsa vero ut prudens et astuta virgo jam

^a Lege Observat. prævias.

^b Clodoveus ex sancta Balthilde tres filios suscepit, vicissim reges futuros, Clotarium, Childericum et Theodericum, de quibus legenda Vita sancti Eligii, qui non solum Clotarii ortum pie reginæ promissit, sed etiam utrorumque sortem et casus divino afflatus Spiritu prædixit, uti Audoenus in lib. II, cap. 31, commemorat.

^c Interpolator: « Interea dominus rex Clodoveus, vir ejus, gratia evocante divina, septimo decimo regni sui anno, rebus exemptus humanis migravit a sæculo; relictaque sobole filiorum cum matre, suscepit illico

A tunc honores vanos fugiens et humilitatem diligens, tentabat ut poterat humanum devitare thorum, ut mereretur ad spiritualem cœlestemque pervenire Sponsum. Sed et illud procul dubio divina peragebatur providentia, ut ipse princeps ipsam tunc quæsitam minime inveniret, et sibi ad conjugium aliam sociaret. Et tunc ita demum Balthildis puella inventa est nutu vere Dei, ut quæ principis nuptias devitarat, postea Clodoveum Dagoberti quondam regis filium in conjugium acciperet, ut meritum humilitatis ad altiorem gradum eam attolleret. In quo gradu ipsam divina dispensatio decreverat honorare, ut dum ministrum regis contempserat, ad regis copulam perveniret, atque ex ipsa ^b regalis soboles procederet. Quod nunc peractum est, sicut omnibus patet, ipsa B ejus nunc regali regnante progenie.

4. Sed et ipsa collata sibi a Deo prudentiæ gratia, vigilantissimo studio et regi obtemperabat ut domino, et principibus se ostendebat ut mater, sacerdotibus et filia, juvenibus seu adolescentibus ut optima nutrix, eratque amabilis omnibus. Diligens valde sacerdotum ut patres, et monachos ut fratres, pauperes ut pia nutrix, largasque eleemosynas distribuens singulis. Principum honorem conservans, consiliaque eorum congrua retinens. Juvenes ad religiosa studia semper exhortans, regi humiliter et assidue pro ecclesiis et pauperibus suggerens. Jam enim sub sæculari habitu Christo ministrare cupiens, frequentabat orationem, quotidie commendans se cum lacrymis Christo regi cœlesti. Quam ipse rex pius consolans juxta fidem et devotionem ejus, dedit ei adjutorium suum fidelem famulum abbatem Genesium, per cujus manus ministrans ipsa sacerdotibus et pauperibus, pascere egenos, et induebat vestibus nudos, studiosèque sepelire ordinabat mortuos, dirigens per ipsum ad cœnobium virorum ac virginum auri vel argenti largissima munera. Qui ipse Christi famulus domus Genesius postea Christo jubente Lugduno Galliæ ordinatus est episcopus. Tunc enim in palatio Francorum erat assiduus, per quem ut diximus ipsa domna Balthildis una cum regis Clodovei imperio et suggerente ipso Dei famulo in cunctis pauperibus larga procedebat regis eleemosyna per loca multa.

^d Quid plura? Deo jubente rex Clodoveus vir egregius migravit a corpore; relictaque sobole filio-

filii ejus Lotharius rex Francorum regimen. Et suffragantibus præcellentissimis principibus (en episcopi principes appellati) Chrodoberto episcopo Parisiaco et domno Audoeno Rothomagensi, seu Ebroino majore domus cum reliquis senioribus vel cæteris quamplurimis regni honorem quærentibus, ad regimen Francorum in pace constituitur. Ex hoc utroque testimonio solus Clotaricus jam ab ipso patris obitu suscepisse videtur imperium, Childerico et Theoderico ob teneriorem ætatem sub materna disciplina consistentibus.

no matre, suscepit illico post eum filius ejus
 ius quondam Francorum regnum. Tunc etenim
 lentibus principibus Chrodoberto episcopo
 ico et domno Audoeno, seu et Ebriino majore
 eum reliquis senioribus vel cæteris quamplu-
 et regno quidem Francorum in pace consi-
 Tunc enim nuper et Austrasii pacifico ordi-
 nante domna Balthilde per consilium quidem
 m receperunt Childericum filium ejus regem

Burgundionum vero et Franci facti sunt uniti.
 limus Deo gubernante juxta domnæ Balthildis
 m fidem ipsa tria regna tunc inter se tenebant
 concordiam.
 lectumque est tunc per eam nutu Dei et exhor-
 s bonis a sacerdotibus, ut hæresis simoniaca
 vo usu maculabat Dei Ecclesiam, ita ut dando
 i contra ordinem episcopatus acciperet, ut
 i domna Balthildis hoc impium nefas prohibe-
 nullum præmium pro percipiendis sacris gra-
 minino intercurret. Ordinavit etenim, imo
 n Dominus, et ut alia pessima et impia cessa-
 metudo, pro qua plures homines sobolem
 merire potius quam nutrire studebant, b dum
 at actiones publicas quæ eis ex consuetudine
 rantur accipere, ut illis ex hoc gravissimum
 marum inferrent damnum. Prohibuit hoc ipsa
 pro mercede sua, ut hoc nullus facere præsu-
 ex quo facto copiosam et valde magnam mer-
 exspectat.

de enim valeat dicere quanta et quam magna
 da per religiosorum cœnobio largiendo integra
 n, et silvas magnas ad cellulas seu monasteria
 enda concessit? Quo etiam et ipsa velut pro-
 eu et peculiare Dei causas, id est, Kala in
 co Deo sacratas puellas cœnobium magnum
 n edificavit, ubi Dei famulam religiosam valde
 n Bertilam in locum matris esse primam con-
 In quo et ipsa venerabilis domna Balthildis
 nversari sub integra regula religionis, et in
 quiescere consueverat, et in veritate devota
 ntate complevit. Prætereundum non est quia
 eum Dei pertinet quidquid in sanctis et electis
 rabiliter Deus operatur, quia, ut dicit Scriptu-
 abilis Deus in sanctis suis. Cujus Spiritus Pa-
 cooperatur interior per bonam voluntatem, D
 itam est: *Omni volenti bonum Deus cooperator*

ecipue Eligio et Audoeno, sicuti in Vita san-
 ii lib. II, cap. 1, dicitur.

rius interpolator: « Dum de eis videbant
 nes fieri, publicaque, ex antiqua consuetudi-
 la urgebantur accipere, unde gravissimum re-
 arum patiebantur damnum. »

n episcopo. Hinc confirmatur id quod in san-
 lberti elogio, ad annum 665, diximus, eum
 m Ecclesiæ Meldensi præfuisse.

landus legit *fratrum*; ita etiam legisse vide-
 nymus sic versum reddens: « et ad prædictum
 i cœnobium condirexit, » omissa alia parte
 iæ, quæ de Theudofredo etiam tunc superstiti-
 enda videtur.

Curbionensi monasterio diximus sæculo I Be-
 a Vita sancti Launomari abb., ad ann. 590,

A est illi (Psal. LXVII, 36), sicut et isti magnæ feminæ
 constat veraciter fuisse. Ut enim præfati sumus,
 neque nostra, neque cujuslibet, ut arbitror, lingua
 quamvis erudita enarrare ejus omnia bona valet:
 quantas consolationes vel adjutoria ad casas Dei vel
 ejus pauperibus pro Christi amore quantasque op-
 portunitates et commoda ipsa largita est, qualesque
 monasterium quod vocatur Corbegia in Ambianensi
 parochia suo opere construxit, ubi venerabilis vir
 domnus Teudofredus, nunc enim episcopus, tunc vero
 abba magno gregi fratrum præfuit: quem de Luxo-
 vio monasterio præfata domna Balthildis a reveren-
 tissimo viro domno Galberto quondam c abbate ex-
 petivit, et mirabiliter ad ipsum cœnobium d fratrem
 condirexit, qui nunc ipse et laudabiliter constat.

B 8. Quid enim? ad Gemeticum domno Phileberto
 viro religioso et silvam magnam ex fisco ubi ipsum
 cœnobium fratrum situm est, et multa munera et
 pastus de fisco dominico ad ipsum monasterium con-
 struendum concessit. Quantaque vero domno Lego-
 berto [Al., Laigoberto] ad e Curbionis monasterium
 et villam magnam vocabulo Nugaretum, et talenta
 multa argenti vel auri etiam ipsum regale quo ipsa
 cingebatur cingulum de supra sacris lumbis suis de-
 vote abstulit, et fratribus in eleemosynam ipsum di-
 rexit. Et hoc totum hilari vultu ac benigno dispen-
 sabat animo. Ut enim Scriptura dicit: *Hilarem da-
 torem diligit Deus.* f Similiter ad Fontenellam eulo-
 gia plura concessit et compendia. Quanta enim ad
 Luxovium, vel ad reliqua monasteria in Burgundia,
 et vi las multas integras concessit, et pecuniam in-
 numerabilem direxit. Quid ad Jotrum monasterium,
 unde illas sacras virgines cum præfata domna Ber-
 tilanâ abbatissa ad Kala suum monasterium arces-
 sivit, quanta ibi munera et de agris et pecunia multa
 contulit. Similiter et ad monasterium sancti Faræ,
 sua sæpe larga munera direxit. Ad urbem vero Pari-
 siacam ad sanctorum basilicas seu monasteria et
 villas multas et magnas contulit, et muneribus pluri-
 mis ditavit. Quid plura? ut diximus, hoc narrare non
 valemus per singula. Sed neque vix media totaque
 dici ejus bona omnino a nobis non possunt.

9. Prætereundum non debemus quod per seniores
 basilicas sanctorum domni Dionysii et domni Germa-
 ni, et domni Medardi et sancti Petri, vel domni An-
 niani seu sancti Martini, vel ubicunque ejus per-

acturi de Gemeticensi in Vita sancti Philiberti infra,
 ad ann. 684. Porro de Farensi, supra, ad ann. 655,
 in Actis Burgundofaræ, de Jotrensi vero in elogio
 sanctæ Theodechildis, anno 660, egimus.

f Alia Vita habet: « Similiter et ad Fontinellam
 et Logium plura concessit beneficiorum compendia, »
 quæ germanior lectio videtur. Logium erat cœnobium
 puellarum in ea Neustriæ regione quæ nunc Nor-
 mannia dicitur. In eo Parthenone mater Milonis
 Reclusi Wisla, mater Logensis cœnobii dicitur in
 Chron. Fontanell., cap. 4. Ansegisus Fontanellæ ab-
 bas ad Logium libram unam legavit. Logium cœno-
 bium situm erat haud procul a Cella Milonis ipsius
 ad ripam alvei Sequanæ; unde Logiensis portus op-
 pido Caudebecco proximus nomen accepit.

tulerit notitia, pontificibus seu abbatibus suadendo A pro zelo Dei præcepit, et epistolas pro hoc eis direxit, ut sub sancto regulari ordine fratres in ipsa loca consistentes vivere deberent. Et ut hoc libenter acquiescerent, in privilegio eis firmare jussit, vel etiam immunitates concessit, ut melius eis delectaret pro rege et pace summi regis Christi clementiam exorare. Et illud commemorandum est, quia ad mercedis ejus cumulum pertinet, quod captivos homines Christianos ire prohibuit; datasque præceptiones per singulas regiones, ut nullus in regno Francorum captivum hominem Christianum penitus transmitteret. Sed magis et ipsa dato pretio captivos plurimos redimere præcepit, et liberos relaxavit, et alios ex ipsis in monasteria intromisit, et præcipue de gente sua viros et puellas quamplures denutritas secum. B Quantas enim attrahere potuit, eas per sancta cœnobîa commendavit, et ut pro ea exorarent eis præcepit. Etiam ad Romam usque ad beati Petri et Pauli basilicas, vel ad Romenses pauperca plura ac larga sæpius direxit munera.

10. Erat enim ejus sancta devotio, ut in monasterio quod prædiximus religiosarum seminarum, hoc est in Kala quod ipsa ædificavit, conversari deberet. Nam et Franci pro ejus amore hoc maxime dilatabant, nec fieri permittebant, nisi commotio illa fuisset per miserum ^a Sigoberrandum episcopum, cujus superbia inter Francos meruit mortis ruinam. Et exinde orta intentione dum ipsum contra ejus voluntatem interfecerunt, metuentes ne hoc ipsa domna contra eos graviter ferret, ac vindicare ipsam causam vellet, permiserunt eam subito pergere ad ipsum monasterium. Et fortasse dubium non est quin ipsi principes tunc illud in bono animo permisissent. Sed ipsa domna Dei voluntatem considerans, ut hoc non tam eorum consilium quam Dei fuisset dispensatio, ut ejus sancta devotio per quamlibet occasionem Christo gubernante esset impleta. Deductaque ab aliquibus senioribus, venit ad præfatum monasterium suum Kala, ibique a sanctis puellis ut decebat honorifice et satis amabiliter in sancta congregatione recepta est. Habuit enim tunc non modicam querelam contra eos ^b, quos ipsa dulciter nutriverat. Pro qua re falsam [L. falso] ipsi eam habuissent susceptam, vel etiam pro bonis mala ei repensarent. Sed et hoc confe-

^a In alia Vita Sigobrandus dicitur, quem Parisiorum episcopum fuisse aiunt, de quo, supra, in Observat. 8. lata Sigoberrandi cædes contigit anno circa 664 quo Balthildis, cum ei jam per filii Clotarii ætatem ad regnum habilem liceret, in Kalense Parthenona secessit. Certe anno regni Clotarii filii 7 adhuc regnum administrabat, siquidem eo anno Berthefridus Ambianorum episcopus privilegium immunitatis monasterio Corbeiensi, petentibus Clotario et Baltechilde regina concessisse legitur.

^b Interpolator legit: « Contra eas quas ipsa dulciter enutriverat, pro qua causa falso ipsæ eam habuissent suspectam, » etc. Quasi Balthildis adversus monachas habuerit querelam. At retinenda lectio nostra, interpretanda utique de optimatibus nonnullis, qui feminam sanctam falsi criminis accusaverant. Ante vero quam Balthildis Kalam se reciperet, curavit funus beati Eligii Noviomagensis episcopi, eju. que

rens cum sacerdotibus citius eis clementer cuncta indulisit, et ut ipsi ei illam cordis commotionem indulgerent supplicavit. Et ipsa pax inter ipsos, Domino largiente, plenissime restituta est.

11. Ipsa vero piissimo affectu diligebat sorores ut proprias filias, et sancte abbatissæ earum obediabat ut matri. Et ministerium exhibebat eis ut vilissima ancillula ex sancta devotione, ita ut etiam cum adhuc regeret publicum palatium, et ipsa visitabat suum sæpe sanctum cœnobium, ita humilitatis imaginæ fortiter exhibebat exemplum, ut ipsa quoque in coquina ministraret sororibus, et munditias vilissimas, etiam deambulationes stercorum, ipsa munderet. Et hoc totum cum gaudio ac læto perficiebat animo tam humile pro Christo ministerium. Quis enim crederet ut sublimitas tantæ potentæ ita vilissimis administraret rebus, nisi ei hoc magnus Christi exegisset omnimodo plenissimus amor? Insistebatque assidue orationi devota cum lacrymis, et divinam lectionem sæpius frequentabat. Consolationem vero continuo per sanctam exhortationem, et frequentem visitationem infirmorum faciebat. Dolebat enim cum dolentibus per studium charitatis, et cum gaudentibus gaudebat, et pro sanis, ut consolarentur, domnæ abbatissæ humiliter sæpius suggererat. Cujus petitioni ipsa ut mater amabiliter cuncta præstabat, quia vere erat eis more apostolico cor unum et anima una, dum se invicem tenere ac plenissime diligere in Christo.

12. Cœpitque ipsa domna Balthildis corpore infirmari et viscerum incisione, pessimo infirmitatis vitio graviter laborare. Et nisi medicorum studia subvenissent, pene deficere. Sed magis ipsa ad cœlestem medicum semper fidem habebat de salute sua. Ipsa vero sancta conscientia et pia non cessabat Deo gratias agere de sua castigatione, et bona et astuta ministrare consilia semper, et humilitatis magnæ exemplum ex ministerio suo sororibus ostendere formam pietatis. Et conferens sæpe cum matre monasterii, ut et regem et reginam et proceres condigno honore cum eulogiis semper visitarent, ut erat consuetudo, ut ipsa domus bonam famam quam ceperat non amitteret, sed amplius semper in affectu charitatis cum omnibus amicis atque validius in Dei novine permaneret in dilectione, ut scriptum est :

corpus Kalam transferre frustra conata est, testante Audoenno, in lib. II de Vita sancti Eligii, cap. 34 et seqq., qui et addit, cap. 39, sanctum Eligium post obitum suum usque tertio apparuisse « cuidam personæ in aula regis habitanti, cui præcepit, ut sine aliquo cunctamine adiens reginam Balthildem commonere eam deberet, quo insignia auri gemmarumque ornamenta quibus adhuc in cultu utebatur, ob Christi jam reverentiam deponere non gravaretur. Regina vero non ambigua de confessoris admonitione, omnia a se confectum ornamenta rejecit, nec præter brachiales aureos super se quidquam ornamentorum reservavit. Omnia itaque in eleemosynis distribuens, po. iora quæque in cruci opere aptavit, quam ad caput sancti Eligii stabiliri præcepit, et crepam (id est, tumbam) ex auro atque argento mirifice fabricare, quam supra confessoris membra deposuit. » Hinc Audoenus.

testimonium habere bonum ab his qui foris A
m. III, 7); et præcipue curam pauperum
cum summo studio pro misericordia et
in ipsis semper iupendi. Pro Christi amo-
monita sancta ipsa mater monasterii, au-
i ac læto animo adimplebat omnia: sed
deinceps ullomodo adimplere cessabat, pro
communis augmento.

vero jam propinquante glorioso ejus obitu,
clara ei fuit ostensa. Scala enim erecta et
to altarium sanctæ Mariæ, cujus culmen
ntingeret, et quasi angelos Dei comitantes,
monna Balthildis ascenderet per eam, ut ex
atione patenter daretur intelligi, eo quod
nia ejus merita patientia et humilitas eam
dinein æterni regis et ad præmii coronam B
standam perduceret. Qua etiam ipsa dom-
s comperta cognovit se quantocius o cor-
migraturam, et illuc ubi jam olim thesau-
num reconderat [Al., recondiderat] perven-
illud vero silere præcepit, ut usque in
suum pro doloris mœstitia sororibus vel
nasterii ipsa visio non indicaretur. Sed po-
nia et alacri mente magis ac magis sanctæ
ireci, et semetipsam cum cordis contritio-
e

cœlesti regi Domino Jesu Christo com-
mittentius. Et occulto exhortabatur semper
labatur domnam Bertilanam et sorores, eo
jam aliquantulum ab infirmitate sua con-
i melius Et dissimulabat venturam mœsti-
ansitu suo, quæ magna postea et subitanea
jit.

ma vero ipsa domina sensit proximum finem
ne mens ejus sancta ad cœlum erecta est.
sancta de beatitudinis retributione et præmio
rehibuit secum consistentibus, ut aliis so-
re nullatenus innotescerent, nec domnæ
quæ valde et ipsa infirmabatur, ne illa pa-
clitaretur ob magnitudinem tristitiæ. b Et
a quædam tunc infantula sua siliola, quam
ut secum iret, quæ et ipsa subito e corpore
am ad tumulum præcessit. Tunc consignans
ster et pios oculos ac sanctas manus ad cœ-
as [Al., piis oculis ac sanctis manibus ad c.
sancta illa anima a corporis vinculo in pace
D
. Statinque divinus splendor in ipso cubi-
nino coruscavit. c Et sine dubio ab ange-
ro vel obviante amico suo fidelissimo quon-

asserit interpolator. « Hoc vero silere
quæ consciæ hujus mirabilis visionis fue-
opti, ne matri monasterii vel cuicumque
sac visio manifestarent. »

olator: « Habebat præterea ipsa domina
quamdam infantulam, quam ex fonte
is susceperat, » etc. Quæ infantula in histo-
tionis appellatur Radegundis, « quæ septi-
sue anno ab hoc sæculo migravit, » cujus
nam post Balthildis translationem in sanctæ
mulo collocatum est; nunc inter sacras
asservatur.

auctor id asseverantius affirmat his verbis:
ipso lumine ab Angelorum choro, obviante
simo Genesis scilicet episcopo, qui visus

dam Genesis episcopo gloriose ipsa sancta anima
recepta est, ut magnum ejus exigebat meritum.

15. Et hoc ita paulisper sorores illas cum in tanti
doloris gemitu conticuerunt et ut ipsa jusserat sub
siletio, ita tantum ut soli tantum sacerdotes qui
ejus beatissimam animam Domino commendaverunt,
illis est denuntiatum. Quam rein postea cognoscens
abbatissa et cuncta congregatio, cum magno fletu
requirentes quomodo sic subito et improvise nec sibi
cognita esset exitus sui hora, et quasi rapta fuisset
ab eis gemma illa omnibus desiderabilis. Omnibusque
ob-tupefactis pariter prostrati illico super humum
multisque ibi profusis lacrymis cum immensi doloris
gemitu flentes, et pio Domino gratias agentes et col-
laudantes commendaverunt ejus sanctam animam
pio Regi Christo, ut ipse eam in sanctæ Mariæ choro,
vel sanctorum consortio perduceret. d Et ut tunc
erat decus ipsius, sepelientes eam cum magno hono-
re et multa reverentia. Tunc domina Bertilana abba-
tissa pro studio pietatis sollicita, commendavit sanctis
sacerdotibus et per plures ecclesias ut esset memo-
ria sancta in sacris oblationibus assidue facienda.
Quod nunc usque per loca multa merito ejus assidue
celebratur.

16. Reliquit sanctum exemplum sequentibus hu-
militatis et sapientiæ, mansuetudinis et plenissimæ
dilectionis studium, imoque infinitæ misericordiæ,
astutamque prudentiæ vigilantiam et confessionem
puritatis, et cuncta per consilium, et nihil e sine
commeato omnino esse faciendum, sed temperata et
rationabilia fieri universa. Hanc pietatis regulam
consodalibus exemplum sanctissimum dereliquit,
pro quibus nunc sanctis virtutibus et multo pluri-
bus sanctis suis meritis merito magni præmii coro-
nam sibi a Domino olim repositam. Et modo per-
fruitur inter angelos in conspectu Domini et Sponsi
sui cum candido virginum grege quod desideravit
immensum ac sempiternum gaudium. Et nunc ad de-
clarandum fidelibus sublime ejus meritum divina
pietas ad sacrum ejus sepulcrum plura perficit mi-
rabilia. Ita quisquis ibi febre correptus seu a dæ-
monio vexatus vel dentium dolore contritus ad fidem
[Al., cum fide] accesserit, illico per divinam virtutem
et per ejus sanctam intercessionem statim depulsa
qualibet morborum peste, sani atque incolumes in
Dei nomine exinde procedunt, f ut et modo nuper
de aliquo puero manifeste contigit.

est astantibus inter agmina angelorum affuisse, glo-
riosa et sancta illa anima est recepta. »

d Clarius expolitor: « Sicque, ut decentissimum
erat, excubias condignas agentes, in ecclesia
sanctæ Crucis quam ipsa a fundamentis construxerat,
corpus beatissimum portaverunt, et merito honore
summaque reverentia ibidem sepelierunt. »

e Bollandus legit sine commento. Interpolator:
« Docuit quoque ut nullus temere vel præsumptuose
aliquid deliniret, sed omnia cum consilio esse fa-
cienda temperato et rationabili sermone di-cretionis. »
Primarius Auctor *commeato* scripsit pro *commeatu*,
quo nomine licentiam intelligunt antiqui scriptores.

f Idem scribit auctor libri de Vita sancti S. renici,
num. 8, quam supra ad ann. 669 retulimus.

17. Venit quippe ex partibus provinciae quidam vir venerabilis ^a Leudegaudus episcopus, amicus et fidelis monasterii Kalensis, cujus puerum ita sævus daemon arripuit, ut contineri a sociis non posset, nisi ejus manus pedesque colligassent, eo quod ob nimiam sævitiam dilaniaret quos contingere poterat. Qui dum ad locum sacrum perveniret, et sarcophagum aliorum ductu tetigisset, subito et sanatus et mitis velut ovis effectus est, opitulante Domini nostri Jesu Christi gratia, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen ^b.

APPENDIX

EX INTERPOLATORE POST PRÆDICTA.

18. Recolimus quidem in Francorum regno nohiles et Dei cultrices quasdam fuisse reginas, Chrodechildem scilicet neptam Guudebaldi regis atque magni e: antiqui Clodovel regis conjugem, quæ ita eundem paganissimum veris instruxit exhortationibus, ut tota mentis intentione ad cultum Christianæ religionis fervente fidei calore converteret. Et non solum ipsum, sed etiam divina gratia adjuncta plurimos Francorum proceres traxit ad Christi agnitionem et ad catholicæ fidei dilectionem. Ecclesiam quoque in honore sancti Petri, ubi religio monastici ordinis vigeret, Parisius fecit, necnon et cœnobiolum in honore sancti Georgii sacrarum virginum in Kala prima construxit. Quod postea quia ambitus ecclesiæ strictior erat, ad capiendum plurimum gregem sanctimonialium a sæpe memoranda domna Balthilde eversum, et basilica prægrandi spatio amplitudinis constructa; cujus medium altare in honore sanctæ crucis, atque illud [F., aliud] in parte dextera in honore sancti Georgii; quod vero ad lævam est, in honore sancti Stephani protomartyris titulatur consecratum. Alia etiam quamplurima pro mercede æternæ remunerationis in honore sanctorum edidit loca et muneribus plurimis ditavit; parique modo de Ultrigotha fertur regina Childeberti videlicet Christianissimi regis conjuge, eo quod nutrix esset orphanorum, consolatrix pupillorum, sustentatrix pauperum et Dei servorum atque adjunctrix fidelium monachorum. Recte quoque et illud prædicatur me-

^a In alia Vita *Leudegangu*, an Leodrandus episcopus Tarentasiensis.

^b Sic desinit Codex Fulviensis.

^c Ipso die sancta Balthildis laudatur in sincero Usuardi Martyrologio his verbis: *In territorio Parisiacensi Balthildis reginæ*. Item in veterrimo Corbeiensis abbatiæ Calendario ante annos septingentos exarato: *III Kal. Febr. Kala monasterio depositio Balthildis reginæ*; quo die in monasteriis Corbeiensi et Kalensi ejus solemnitas celebratur. Corrighendi ergo libri editi Usuardi, corrigendus et Ado, qui vii Kal. Febr., corrigendus etiam Wandalbertus qui vi eadem Kalend., denique corrigenda etiam Martyrologia Romanum, Benedictinum ac Gallicanum, in quibus sanctæ Balthildis natalis vii Kal. Febr. collocatur. Annum quo sancta regina obiit, quadamtenus designant duo characteres chronologici, unus a regno Theodorici ejus filii qui matri superstes regnasse dicitur in Vita secunda sancti Wandregilsi, cap. 23; alter ex morte sancti Genesii Lugdunensis ponti-

morabile factum sanctæ et venerabilis Radæ reginæ Clotarii quondam anterioris regis et quam tanta sancti Spiritus succenderat grivivum relinqueret conjugem et se Christo sub sacro velamine consecraret, multaque a in Actibus ejus leguntur perageret.

19. Sed quanquam illud considerare libens ab ipsis sanctis feminis actum est, summopere nobis ad sanctam matrem domnam Balthildem nostris effulsit temporibus, necnon et ad ejus gloriosa quæ ipsi ab ea gesta novimus et v recurrentum est. De quibus hic quidem pa plurimis commemoravimus, per quæ non peam inferiorem meritis fuisse illis prioribus multo magis in sanctis studiis et bonis operibus præcessisse cognovimus. Quæ post multa mem quæ gessit opera, evangelicæ perfectionis adi mandata, despexit mundum et concupiscentiæ contrivit diabolium et pompas ejus, secuta Christum et præcepta ejus, utque vera monachæ integra religione beatam vitam feliciter cons vit, atque ^e iii Kalendas Februarias terrena di et cœlestia appetens, animam beatam benigni qui eam dederat, mundam et immaculatam signavit, humataque in pace requiescit in Kala nasterio, et regnat in perpetua jucunditate et nino, non immemor, ut credimus, suorum filii qui ejus cupiunt veraciter attollere præconit vero etsi non ita ut debuimus, saltem ut po vestrum imperium adimplere curavimus. In sermonis indulgentiam date, et pro culpis ne tiarum cum charitate Deum exorate. Nos ^d adhuc mole carnalis ergastuli pressi ac m scelerum pondere prægravati in hujus laben culi fluctibus vagamur ambigui, ejus suffra devotione poscamos assidui, ut pro nobis ap sericordem Dominum intercedere dignetur, qui ablutos omnes labe criminum perducatur p pietate ad cœleste regnum, ubi est gloria ciens, perpetua pax, lumen sempiternum cum et Filio et Spiritu sancto, quæ præparavit diligunt eum ^d.

^d flicis, qui sanctæ animæ de corpore migrantis visse legitur, supra, num. 14. Obiit sanctus sius anno 5 regni Theodorici, Christi 677, i Novembris, siquidem anno Theodorici s Anshertus, qui Lantberto abb. Fontanellensi a las Lugdunenses post Genesium evecto ^e est, annum regiminis secundum agebat, quem dum ex Actis sancti Conradi inferius refert constat. Anno proinde circa 580 sancta ^e ad superos transit. Ejus festum diem inter brioses festivitates sanctus Adefardus abba: beiensis, in lib. i et ii Statut. Corb., cap. 2, set.

^e Corpus sanctæ Balthildis thecæ argenteæ, vero proprio scrinio inclusum etiam nunc in n terio Kalensi religiose colitur, præter in maxillæ superioris portionem, quam Corbæ nostri anno sexcentesimo quadagesimo septi pra millesimum ab illustri ac venerabili ab Magdalena obtinuerunt, et in argentea est